

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2625

Auteur(s) : Colin de Vaussé [clerc]

Bénéficiaire(s) : Saint-Martin-du-Vieux-Bellême, Saint-Martin, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1298, 29 juin

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Donation, par Colin de Vaussé, clerc, à l'église du prieuré de Saint-Martin-du-Vieux-Bellême, de tous ses biens meubles et immeubles, à charge d'être reçu par les moines à titre de frère condonné, nourri et entretenu dans leur maison jusqu'à sa mort, et acquitté des dettes qu'il peut avoir.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche*, Mortagne-au-Perche, Meaux (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 118, p. 125.

Texte établi d'après a

Universis.... Colinus de Vauseyo clericus salutem in Domino sempiternam.

Attendens quod diem messionis extreme oportet quemlibet operibus misericordie prevenire ac eternorum intuitu seminare in terris quod, reddente Domino, con multiplicato fructu, recolligere possit in celis, firmam spem et fiduciam tenens quod qui parce seminat parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam eternam, notum facio quod ego, in bona sanitate existens, mea propria voluntate, dedi me irrevocabiliter, una con omnibus et singulis bonis meis mobilibus et immobilibus quibuscumque, et ubicumque existentibus presentibus et futuris, ecclesie prioratui Sancti Martini et monachis ibidem Deo servientibus, pro salute et remedio anime mee et parentum meorum, necnon et pro vite mee necessariis, in dicto prioratu a dictis religiosis michi quandiu vixerom ministrandis, ac etiam pro solvendis debitis quibus eram pluribus creditoribus obligatus. Predictamque ecclesiam, prioratum et monachos heredes meos feci et constitui in premissis et singulis premissorum, et in omnibus et singulis bonis mobilibus et immobilibus quibuscumque, que in futurum poterunt, vel debebunt, et possent seu deberent ad me, si donationem hujusmodi non fecisset, ratione successionis, caduci, vel quocumque alio titulo seu causa, aut qualitercumque alias, pervenire ; omne jus, dominium, actionem, proprietatem et possessionem ex nunc in predictam ecclesiam, prioratum et monachos, quantum ad omnia et singula supradicta presencia et futura totaliter transferendo. Et juravi, tactis sacrosanctis evangelii, quod contra presentem donationem, quam in puram et perpetuam elemosinam feci religiosis predictis, ecclesie et prioratui, et ob causas predictas, non veniam in futurum. In cuius rei testimonium presentes litteras dedi supradictis ecclesie, prioratui et monachis sigillo meo proprio sigillatas, per quas me submisi et omnia bona mea supradicta presencia et futura ecclesie, prioratui et monachis sepedictis.

Datum die dominica, in festo Apostolorum Petri et Pauli, anno Domini M^o CC^o nonagesimo octavo.